

et sit oblata facultas, quia semper nocuit differre, paratis, non queratis moras aut dilationes captetis, sed eis omnino postpositis, quod bene cepistis, quantum permiserit dominus, complectis. Ecce etenim regiones albenit ad messem, ita ut, nisi messor negligat messio- nem, sed falce se accingat potius ad metendum, metere non solum, que seminaverat, ipse possit, sed in aliorum intrare laborem et, que alii seminaverant, congregare. Monemus igitur universitatem vestram et exhortamur attentius et per apostolica vobis scripta manda- mus, quatenus, ut finem de cetero tam vestris quam imperii laboribus imponatis, taliter vos accingere procuretis, ut, cum cum vocabimus ad coronam, nulla vos mora detineat, quin in forti manu et brachio extento, prout videbitur expedire, ad nostram cum presentiam honorifice adducatis, apostolice benedictionis gratiam et sacre unccionis misterium sus- cepturum. Taliter igitur exequamini, quod mandamus, ut ea intentione vos ostendatis hactenus laborasse, quod finem tantis imponeretis laboribus et digne reciperetis pro tanto et tam diutino labore mercedem. Datum Anagnin XVIII. kal. februarii.

In eundem fere modum langravio Thuringie. In eundem fere modum comiti palatino Rheni.

15

## 78.

*Markgraf Dietrich bestätigt, daß der Reichsministeriale Bernhard von Trebsen von der Besetzung Wuhnitz, die derselbe von ihm zu Lehn gehabt, außer dem kirchlichen Zehnten noch einen andern Zehnten dem Kloster Altzelle zugewendet hat.* Altzelle, 1204 Febr. 2.

*Hdschr.: Or. Perg. Hauptstaatsarchiv Dresden No. 137. S., an gelben und weißseidenen Fäden, verloren.*

*Ann.: Altzeller Handl. Vergl. Posse, Lehre von den Privaturl. 20.*

20

C. : In nomine sancte et individue trinitatis. Theodericus dei | gratia Misnensis marchio.: Notum esse volumus tam presentibus quam futuris, | quod fidelis noster Bernhardus de Trebecin ministerialis imperii quedam | bona de nobis feodali iure possidet, dominicale quoddam scilicet Woiniz nomine, cuius area novem mansos habere dinoscitur. Volens igitur liberalis ille memoratus vir deo devotus oblationem offerre spontaneam de supra dictis bonis omnem agriculturę ob salutem anime suę suorumque fructum annotinum decimare preposuit preter decimam ecclesiasticam et ecclesię beatę semperque virginis Marie in Cella, parentum nostrorum industria fundatę dictam decimam perpetuo possidendam contulit. Verum quia id sine nostro assensu effectui mancipari non potuit, spe divine remunerationis assensi sumus, ita dumtaxat ut dicta bona in quacunque manum devoluta fuerint, in posterum ecclesię prefatę sua donatio maneat inconvulsa. Et ut ea, que gesta sunt, perpetuo rata perseverent, presentem paginam auctoritate nostri sigilli roboramus testes idoneos annexentes, quorum ista sunt nomina: Tammo prior totusque conventus in Cella. Hildebrandus capellanus. Theodericus prefectus de Kirberg. Albertus de Vroburg. Heidenricus de Weda. Otto et Matheus<sup>a</sup>) de Misna. Petrus et Tammo de Noscin. Burchardus de Ueste. Anno de Muchele. Hageno de Dobelin. Heinricus de Cure.